

essentialem, seu dum fiunt inutilia vel potius inepta ad usum sacrum, v. g. si in fundo cuppae fuerit foramen, aut si cuppa per fractionem separaretur a pede, etc. etc.

**333.** Quando inauratio Calicis et Patenae decidit, iterum inaurari ac consecrari debent <sup>1</sup>. Per modicam vero reparationem, modo nulla fiat fractio notabilis, non amittunt consecrationem; nec per usum profanum, quamquam talis usus sit graviter illicitus.

**334.** Vasa sacra, antequam artifici tradantur reficienda, a manu Sacerdotis vel mediante instrumento non debent exsecrari <sup>2</sup>.

**335.** Clericis imo et Laicis nostris, qui Sacratio inserviunt, licet in Sacratio vasa sacra (cum aliquo linteo tamen) et linteamina, quae SS. Sacramentum immediate attingunt, tangere, magna tamen reverentia. Ipsi tamen nunquam Corporale aperiant, ne, si forte aliquae adsint in eo SS. Particulae, in terram decidant; nec ipsi vasa sacra aut Corporalia et purificatoria lavent, sed solus Sacerdos vel saltem Minister in Sacris constitutus.

**336.** Superiorum et praesertim Sacristae est, vigilare, ut vasa sacra (quod valet etiam de paramentis) sana, integra et divino cultu digna et decencia conserventur, deficientia restaurentur seu reficiantur, et quae amplius non serviunt, tollantur.

#### § IV. — De paramentis sacris.

**337.** Corporale, Alba, Amictus, palla, purificatorium et mappae Altaris debent esse ex lino aut cannabe,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 14 Iunii 1845.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 20 April. 1822.

minime vero ex gossypio aut ex alia materia quacunque <sup>1</sup>; et sint semper mundissima.

**338.** In medio plicaturae anterioris, non in medio Corporalis, parva Crux acu pingatur, ut eodem semper modo extendi et plicari, et Hostia eodem semper loco deponi possit, ne fragmenta consecrata forte Corporali inhaerentia perdantur.

**339.** Praeter Hostiam, Calicem, Ciborium cum particulis consecrandis aut consecratis, nihil deponere licet super Corporale. Idem valet, et strictissime est observandum, quando SS. Sacramentum exponitur; tunc enim totum Corporale sub pede Ostensorii extenditur.

**340.** Corporale semper intra bursam, nunquam autem extra aut supra, aut etiam manu ad Altare aut de Altari in Sacratio portetur, nec extensum super Altare relinquatur <sup>2</sup>; sed a quolibet Sacerdote aut Celebrante post Communionem plicetur, bursae includatur, et cum Calice in Sacristiam reportetur.

**341.** Palla potest esse quadrata vel rotunda; sit absque picturis, sed sola parva Cruce in medio partis, quae Calicem respicit, ornata; ipsa deficiente aliud Corporale plicatum substituitur.

**342.** Purificatorium, ut a manutergio secernatur, in medio parvam Crucem acu pictam habeat.

**343.** Amictus in medio inter chordulas Crucem acu depictam habeat, chordulaeque ita longae sint, ut antepectus faciliter ligari possint.

**344.** De superpelliceis, rochettis ac manutergiis, S. Rit. Congregatio quoad materiam nihil statuit, quia

<sup>1</sup> S. Rit. C. 15 Maii 1819.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 13 Sept. 1704.

non sunt linthea sacra; sint tamen alba, munda et nitida, sicut et caetera lintheamina sacra. Superpelliceum tamen, quo utitur Sacerdos in expositione SS. Sacramenti et in communicandis Fidelibus, ex lino sit vel ex cannabe.

**345.** Fimbriae Corporalis, Albae, superpellicei, pallae et mappae superioris Altaris, circumduci possunt textura denticulata seu vermiculata, quae etiam ex gossypio esse potest. Licet etiam huiusmodi laciniis mapparum et manicis Albarum submittere telam coloratam ex quacumque materia, non autem quoad Corporalia, pallas et superpellicea.

**346.** Alba nunquam indui potest sine Amictu; apud nos autem, Amictus adhiberi debet quando Sacerdos induit Pluviale, etiamsi loco Albae utatur superpelliceo seu cotta, quia Sacerdos indutus paramentis sacris incedere debet tecto capite <sup>1</sup>.

**347.** Cingulum, quo cinguntur lumbi ac Alba ligatur, potest esse sericum, congruentius tamen ex lino aut cannabe <sup>2</sup>, ac etiam ex lana <sup>3</sup> quamvis minus congruenter. Color ipsius generaliter est albus; potest tamen esse etiam coloris paramentorum <sup>4</sup>.

**348.** Manipulus et Stola habere debent in parte exteriori Crucem, devote osculandam a Sacerdote quando-cumque sive illa assumit sive deponit, et esse debent eiusdem coloris ac Casula, Officio ac Missae diei congruentis.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 9.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 20 Ian. 1701, in una Congreg. Mont. Coronae.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 23 Dec. 1862, in una Carthusian.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 8 Iul. 1809.

**349.** Manipulus adhibetur sive a Sacerdote sive a Diacono et Subdiacono tantum in celebratione Missae; ideoque si aliqua alia functio peragenda sit vel ante vel post Missam immediate, Manipulus vel non assumitur vel deponitur.

**350.** Stola utitur Sacerdos ad omnes functiones sacerdotales, nempe in celebratione Missae, in conficiendis et administrandis Sacramentis, in expositione et repositione SS. Sacramenti, in processionibus, in quibus defertur vel SS. Sacramentum vel Reliquia Sanctorum, in benedictionibus, in sepultura Defunctorum, in Absolutionibus ad feretrum, etc. Nunquam vero ad Horas canonicas, nisi immediate post Horam solemniter cantatam, populus sit benedicendus cum SS. Sacramento. Item neque cum Sacerdos alteri Sacerdoti celebranti assistit, licet Pluviali indutus, ac etiamsi agatur de celebratione primae Missae; nisi vel extrahere debeat SS. Sacramentum ex Tabernaculo, vel ipsum reponere. Stola utitur Diaconus in exercitio sui Ordinis.

**351.** Velum Calicis tam amplum sit, ut Calicem ex omni parte vel saltem a parte superiori et anteriori contegat <sup>1</sup>. Sit sericum iuxta Rubricam Missalis, ac sequatur colorem paramentorum.

**352.** Bursa quoad colorem cum velo concordet, et in parte superiori ornata sit Cruce. Nihil omnino super illam (id est Calicem paratum) ponatur, nec manutergium, nec strophium, nec perspicillum <sup>2</sup>.

**353.** Dalmatica ac Tunicella quoad materiam et colorem cum reliquis sacris paramentis concordent; earum

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Ian. 1669.

<sup>2</sup> Ibid.

usus apud nos est rarissimus; nunquam tamen Diacono et Subdiacono licet solum Alba, Cingulo, Stola et Manipulo respective indui, quando iuxta Rubricas Missalis, praescribuntur Dalmatica ac Tunicella <sup>1</sup>.

**354.** Pluviale adhibetur in processionibus et benedictione cum SS. Sacramento in Ostensorio exposito impertienda; in solemnibus aspersione aquae benedictae; ad benedictionem et processionem Candelarum in festo Purificationis ac Palmarum etc.; ad peragendam Absolutionem post Missam Defunctorum; et ad assistendum Celebranti in Missa pontificali, et non simpliciter solemnibus, sed tunc sine Stola.

**355.** Si praedictae functiones Missam immediate praecedant aut subsequantur, Pluviale induitur supra Albam; si vero divisae a Sacrificio Missae, supra superpellicem aut cottam. Vid. n. 346.

**356.** Clericis non vero Laicis, usus Albae, Dalmaticae, Pluvialis et similium in processionibus etc. permittitur, non autem Manipuli <sup>2</sup>.

**357.** Velum humerale, quod adhibetur pro benedictione et processione SS. Sacramenti, et ad deferendam S. Communionem infirmis, sit album; illud autem, quod servit Subdiacono ad tenendam Patenam in Missa solemnibus, sit conforme reliquis ss. indumentis, si habeatur, vel album pariter, sed semper sericum, et non ex quacumque alia materia etiam pretiosiori.

**358.** Pro Casulis vero requiritur, ut sint confectae ex pannis sericis, aut argenteis, aut aureis, quae ultimae

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 4.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 11 Sept. 1847.

tamen statui nostro sunt parum convenientes: minime vero ex tela, lino vel gossypio vulgo percallo coloribus praescriptis tincto <sup>1</sup>, pannis filamentis vitreis intextis <sup>2</sup>, ex urticis <sup>3</sup>, seu etiam ex mera lana <sup>4</sup>.

**359.** Quod de Planeta dicitur, et de Pluviali, de Dalmaticis, Manipulo, Stola, etc. valet, quae ipsam Planetam comitantur, et ex more eiusdem materiae ac illa conficiuntur.

**360.** Nos sicut et caeteri tenemur observare Decreta S. Rit. Congregationis circa materiam paramentorum, praesertim 18 Dec. 1877 et 28 Iulii 1881; facta vero venia, uti possumus paramentis iam existentibus, donec consumentur <sup>5</sup>.

**361.** Color paramentorum Celebrantis (et Ministrorum) debet esse conveniens Officio vel Missae; si haec cum Officio non concordat, color indicetur in Calendario.

**362.** Ecclesia quinque coloribus utitur: albo, rubro, viridi, violaceo et nigro; omnis alius color, ut flavus, caeruleus, etc. reprobatur.

**363.** Paramenta sint unius tantum coloris; quod si alii colores per modum ornamenti, ut flores etc. admisceantur, unus praedominetur, et ut talis v. g. albus declaretur et adhibeatur. Reprobanda inde illa paramenta, in quibus omnes aut saltem diversi colores ita commiscantur, ut nullus praedominans dignosci possit.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 22 Sept. 1837, in una Mutin., ad 3.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 11 Sept. 1847, in una Atrebaten.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 17 Decemb. 1875, in una Asculana Piceno.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 18 Dec. 1877, in una Senensi; item 22 Sept. 1837; item 15 April. 1880.

<sup>5</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 16.

**364.** Nunquam unum idemque paramentum pro duobus coloribus adhiberi potest, excepto ex aurea textura confecto, quo pro albo, rubro viridique colore uti licet, non tamen pro violaceo et nigro <sup>1</sup>.

**365.** Color festi adhibetur etiam in respectivis Missis votivis, uti ruber in Missis Passionis, albus in Missis Immaculatae Conceptionis, etc. In distributione SS. Communionis extra Missam, ad faciendam aspersionem aquae benedictae, in Vesperis aliisque Horis canonicis solemnibus, etc. semper adhibendus color Officii currentis.

**366.** In expositione, processione et benedictione SS. Sacramenti, retinetur color festi (excepto semper nigro colore), si Celebrans paratus non recedat ab Altari; alias autem adhibeatur color albus. Velum humerale sit semper albi coloris.

**367.** In aliis processionibus, benedictionibus, etc. adhibeatur color festi, nisi alius a Rubricis praescribatur.

**368.** In administratione Sacramentorum adhibetur color pro singulo Sacramento praescriptus.

**369.** Paramenta nova, antequam ad usum sacrum adhibeantur, ab Episcopo, vel Sacerdote facultatem habente, benedici debent.

**370.** Paramenta, quae Missae Sacrificio inserviunt et benedictione indigent, sunt sequentia: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Casula; item Corporale, palla, et mappae Altaris. Haec benedicenda sunt de praecepto; Pluviale vero cum Velo humerali, Dalmatica,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866, in una Guadalax.; et 5 Decemb. 1868, in una Syren.

Tunicella, superpelliceum, cotta, velum Calicis, bursa, de convenientia.

**371.** Purificatorium benedici non debet <sup>1</sup>, nec manutergium, cum non exclusive et immediate ad Sacrum inserviant.

**372.** Paramenta exsecrantur seu benedictionem amittunt, ita ut ad functiones sacras illa adhibere non amplius liceat, per notabilem lacerationem, quando amittunt formam sub qua benedicta sunt, per separationem partium a toto etc., non vero per levem lacerationem, reparationem, lotionem, et similia.

**373.** Exsecrata paramenta aut benedicenda sunt noviter, aut in alia sacra paramenta aut lintea transmunda, ut v. g. Alba in Amictum, Casula in Stola, aut comburenda. Transmutata nova indigent benedictione. Nunquam vero licet illa converti in usus profanos.

#### § V. — De materia Sacrificii.

**374.** Ad Missae Sacrificium valide celebrandum requiritur panis triticeus, non autem ex aliis frumentorum generibus aut fabis confectus.

**375.** Panis non sit fermentatus, sit ad ignem in formis coctus, sit recens <sup>2</sup>, ita ut iuxta S. Carolum Borrom. non plus quam unum mensem a sua confectione habeat; panis plus quam a tribus mensibus confectus, saltem hiemis tempore, licite consecrari nequit <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1816.

<sup>2</sup> Rit. Rom. De SS. Eucharistiae Sac.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 16 Decemb. 1826.

**376.** Hostia maior seu Sacrificii sit integra, non fracta, candida, pura et rotunda. Idem valet de hostiis pro Fidelium Communionem.

**377.** Cum minori hostia celebrare licet, si absit hostia maior, et hoc fieri possit sine admiratione Fidelium.

**378.** Magna sollicitudine hostiae consecrandae, maiores et minores, a Sacrista a micis et segminibus liberandae sunt, ne posteaquam consecratae sunt, decendant ac pereant.

**379.** Praeter panem triticeum, ad Sacrificium Missae requiritur vinum de vite, fermentatum, non mustum, clarum, et non corruptum aut acidum. Omnis alius liquor, v. g. ex pomis aut aliis fructibus confectus, est materia illicita et invalida; vinum vero quod acescere aut corrumpi incipit, materia quidem valida est, sed graviter illicita.

**380.** Vinum album pro Sacrificio praefendum est rubro, propter linteorum munditiam, non vero propter licentiam aut validitatem.

**381.** Aqua, quae vino consecrando in Sacrificio Missae in modicissima quidem quantitate infunditur, sit naturalis, pura ac limpida.

**382.** Vinum ante consecrationem in Calice congelatum, consecrari nequit antequam liquefactum fuerit halitu aut alio artificiali modo.

**383.** Ad distinguendum vinum ab aqua, et propter munditiam maiorem, iuxta Rubricas <sup>1</sup> requiritur, ut ampullae sint ex vitro vel crystallo confectae, nun-

<sup>1</sup> Rubr. gen. Missal. t. XX.

quam vero ex plumbo aut alio metallo communi. Ampullae ex auro, argento aut alio metallo pretioso permittuntur <sup>1</sup>, statui autem nostro parum sunt convenientes.

§ VI. — *De aliquibus defectibus in celebratione Missae occurrentibus* <sup>2</sup>.

**384.** Quidquid validitati, licentiae, sanctitati et decori Missae Sacrificii contrarium exstat, omni diligentia est a Celebrante evitandum: est enim Sacrificium sanctissimum et tremendum, id est Sacrificium, quod prae sanctitate Sacerdotem facit tremere.

**385.** Defectus tamen contingunt aut saltem contingere possunt, et quidem primo ex parte materiae, secundo ex parte formae, tertio ex parte Ministri seu Celebrantis, et quarto defectus, qui in ipso Ministerio occurrere possunt.

**386.** DE DEFECTIBUS MATERIAE. — Ad valide et licite celebrandum requiruntur panis triticeus et vinum de vite, et ut utraque species sit integra et incorrupta, et in actu celebrationis praesens. Quidquid huic contrarium est, Sacrificium invalidum, aut saltem illicitum reddit, et quantum possibile, in ipso Sacrificio emendari aut corrigi debet. Ergo:

**387.** Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, sed aliis grani speciebus in tanta quantitate admixtus, ut non maneat triticeus, Sacrificium est invalidum. Idem dicendum, si panis sit corruptus.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866.

<sup>2</sup> Vid. Missale Rom. De Defect. in celebrat. Missar. occurrentibus.